quoq; sex domorũ haud quaq; latebunt cum suam queq; comparem per diametrum circuli aspiciat. ¶ Exemplũ huic documento subiungendũ est: habeat sol. 6. grad⁹ thauri distans a meridie p̃ tres horas ⁊. 14. minuta: volo inuenire principia. 12. domoꝝ celi ad latitudinẽ. 48. graduũ. In tabella igitur domoꝝ rationabili iuxta. 48. gradus latitudinis inuenio numerũ polarem. 11. ⁊ tercie domorum. 29. graduũ ⁊. 2. minutorũ: numerũ aũt polarem. 12. ⁊ scde. 43. graduum ⁊. 53. minutoꝝ. hos numeros serua seorsum: deinde per terciũ pbleuma inuenio ascensiones solis rectam. 33. graduũ ⁊. 40. minutoꝝ: pro vnaquaq; aũt hora distantie a meridie accipio. 15. grad⁹ equatoris ⁊ pro quaternis minutis horę vnum gradum vti fieri solet: sicq; arcum. 48. graduum et. 30. minutorum colligo, distantiã videlicet solis a meridiano quam addo ascensioni solis recte vt emergat ascensio recta medij celi. 82. graduũ ⁊. 10. minutorum, et ipsum celi medium. 22. gradus cum. 49. minut⁹ geminoꝝ: cuius demum ascensioni recte addo. 30. gradus ⁊ resultat ascensio obliqua respondens principio. 11. dom⁹ 112. graduum ⁊. 10. minutorũ: huic quoq; ascensioni oblique. 11. dom⁹ addo 30. gradus ⁊ prouenit ascensio obliqua. 12. domus. 142. graduũ ⁊. 10. minutorum. Similiter per additionem continuam trigenorũ graduũ efficio ascensiones obliquas ad inicia reliquarum domorũ. Prime quidem cuius inicium est gradus ascendens. 172. gradus ⁊. 10. minuta. secunde autem. 202. gradus ⁊. 10. minuta. tercie vero. 232. gradus ⁊. 10. minuta. deinde intro tabulã ascensionum obliquarũ. 29. gradibus elevationis poli subiectam cum ascensionib⁹ obliquis. 11. ⁊ tercie domorum: ⁊ per documentũ noni probleumatis inuenio vnum gradum cum. 28. minutis leonis pro. 11. domo: pro tercia aũt. 15. grad⁹ ⁊. 14. minuta scorpionis. Similiter cum ascensionibus obliquis. 12. ⁊ secunde domorũ: intro tabulam. 44. gradibus suppositam ⁊ eodem modo reperio vnũ gradum ⁊. 4. minuta virginis pro. 12. domo: pro secũda aũt. 17. gradus ⁊ vnũ minutum libre. Non aliter cum ascensionibus obliquis ascendentis vel prime domus per tabulam regionis videlicet. 48. gradib⁹ subscriptã elicio. 24. grad⁹ ⁊. 14. minuta virginis pro ascendente. Sic inuenta inicia sex domorũ a medio celi incipientium: reliquarum autem domoꝝ principia per diametrũ predictis opponũtur: quare ⁊ ipsa haudquaq; latebunt: vsus aũt sum. 29. gradibus vice. 29. graduum ⁊. 2. minutorum: similiter. 44. gradibus vice. 43. graduum et. 53. minutoꝝ propter vicinitatem numeroꝝ: cum tabule ascesionum obliquaꝝ ad integros grad⁹ sint facte. hoc etenĩ pacto nihil erroris sensibilis ingeritur. Si tũ curiose magisq; vtilitez omnia ad vnguem exhaurire libet nonũ probleuma consulendum est: iste est modus generalis equandarum domorum ad omnẽ poli elevationẽ: cuius nõ nihil difficultatis in opere videatur habere: quobrem si celeriorem computationem desideras: fac tabulam domoꝝ regioni tue propriam fm modũ iam traditũ incipiendo videlicet a medio celi vel ascendente: cõmodius tamen est inicium a medio sumere celi.

nota q̃ cti si sit ante meridiez tamẽ bẽt computhoręz a me ne diei pręcnq & si fuit gradus ores. 360. pendũ more ito.

Quindecimum probleuma.

Quodecim domos celi p circulos magnos in vtroq; polo mōi coeuntes ad q̃ntis latitudinem. 60. gradus non excedentem determinare. Etsi modum hunc valde vsitatū negligere iam pridez decreuerim: tū hoc in loco docere libuit quo pacto ſm eum quoq; domus equande ſint vniuerſaliter in quacunq; regione latitudinez. 60: graduū non egrediente: quo abundius ſiue vtilitas ſiue amplitudo tabularū preſentiū demonſtretur. Aſcenſioni igitur recte medij celi ſi a ſectione vernali inceperit iunge. 90. grad⁹ ⁊ reſultabit aſcenſio obliqua aſcendent⁹ qua mediante gradus aſcendens per tabulaz regionis tue: documenti noni probleumatis innoteſcet: deinde arcum ſemidiurnum aſcendentis per. 12. probleuma cognoſcas: quem diuide in tres partes equales: eritq; vnaqueq; illarum partium dupla ad quantitatem hore tpalis diurne ipſius aſcendentis: tale autez duplum ſi dempſeris ex gradibus 60. relinquetur duplum hore inequalis nocturne aſcendentis: q̃litercunq; aūt huiuſmodi duplu hore inequalis reperies nihil refert: illud ergo duplū adde aſcenſioni recte medij celi et reſultabit aſcenſio recta principio. 11. domus re/ſpondens que per quintuz probleuma arcum ecliptice ſuum: atq; iccirco iniciū 11. domus eliciet: item aſcenſioni recte. 11. domus adde predictū duplū hore inequalis: ſic enim aſcenſionem rectam principio. 12. domus debitā cōflabis vnde ⁊ ipſa domus inicium ſortietur notū: amplius aſcenſioni recte. 12. dom⁹ predictū duplum adde ⁊ eueniet aſcenſio recta aſcendentis: cui hore nocturne adiunge duplum ipſius aſcendent⁹ ⁊ colligetur aſcenſio recta inicij ſcōe dom⁹ cui inſtip ſi idem duplū adieceris: aſcenſio recta principio tercie domus ſeruiēta prodibit. Ex his autē aſcenſionibus rectis ſi puncta ecliptice eis reſpondentia neſcires elicere: inertiam tuam turpiter proderes: preſertim cum oratio hec ſit vulgaris ad modū ⁊ ante hac in quinto probleumate ſufficienter expoſita. Habitis aūt inicijs ſex domoz a medio celi incipientium reliquarum quoq; inicia diametraliter videlicet iam memoratis oppoſita non latebunt. ¶ Si tū exemplaris computatio placet ponatur in medio celi. 12. gradus thauri: volo eq̃re domos ſm hunc modum: aſcenſio recta huiuſmodi medij celi eſt. 39. grad⁹ ⁊ 33. minuta quib⁹ adiungo. 90. grad⁹ reſultant. 129. grad⁹. 33. minuta aſcenſio ſecz obliqua aſcendentis: ⁊ ideo aſcendēs ipſum. 23. gradus ⁊. 5. minuta leonis huius aſcendentis arcus ſemidiurnus per prius expoſita eſt. 105. gradus ⁊. 53 minuta: quē diuido in tres equales portiones quarū queq; habebit. 35. grad⁹ cum. 18. minutis fere ⁊ tū erit duplum hore diurne aſcendentis: hoc duplum demo ex. 60. ⁊ relinquuntur. 24. gradus cum. 42. minutis: duplum igitur hore diurne addo aſcenſiōi recte medij celi que erat. 39. grad⁹. 33. minuta: reſultat aſcenſio recta. 11. dom⁹. 74. graduū ⁊. 51. minutorū cui demum adicio idem duplum ⁊ emergit aſcenſio recta. 12. domus. 110. graduū ⁊. 9. minutorū: huic

quoqꝫ addo idem duplum vt nascatur ascensio recta ascendẽtis. 145. graduũ ⁊. 26. minutoꝝ: omitto autẽ vnum minutum quia duplum hore diurne defecit parumꝫ in secundis a. 35. gradibus ⁊. 18. minutꝭ. Item dicte ascensioni recte ascendentis adiungo duplum hore nocturne: sicꝫ colligo ascensionez rectam secunde domus. 170. graduum ⁊. 8. minutorum: huic denicꝫ aggregato super adiungo predictũ duplum hore nocturne ⁊ resultat ascẽsio recta tercie domui tribuenda. 194. graduũ cum. 50. minutis per illas ascensiones dirigente qnto probleumate inuenio pro vndecima. 16. gradus ⁊. 4. minuta geminorum pro duodecima. 18. gradus ⁊. 36. minuta cancri: pro secunda. 19. gradus cum. 15 minutis virginis: pro tercia aũt. 16. gradus cum. 8. minutis libre. Sic cuspides sex domorum orientalium inuente sunt: vnde ⁊ reliquarum sex occidentalium inicia propter diametralẽ oppositionẽ innotescent. Sedecimũ probleuma.

Nicia duodecim domorum celi ſm reliquũ modum extremuz in regione qualibet latitudinez. 60. graduũ nõ extendente breuiter constituere. Huius vie equandarum domoꝝ campanus quidez speculationẽ exposuit: verum quo pacto executioni numeratorie mandaretur silencio ꝑterijt: qõ profecto vel imbecillitatem huius vie: vel difficultatez arguit executionis. Si enim campanus stabilez arbitratꝰ est hunc modũ: quid eum arcere potuit quo minꝰ artificialẽ eius vsum traderet nisi ipsa negocij difficultas: aut si calculũ eius in prompto habuit: iccirco non edidisse videtur qꝫ huiuscemodi domoꝝ distinctionez infirmaz esse animaduertit: posset tñ subtiliter potius q̃ vtiliter ita imaginari. Joannes aũt ragusinus sola pene auctoritate campani suffultus eum modum censuit prosequendum: nam ceterorum astronomorum testimonia que sibi vsu venire arbitretur: (pace eiꝰ dixerim) nõ pro sua sed nr̃a sentencia militant: ⁊ quidem apertissime qõ alibi latius disseremus. Is igitur postq̃ opinionem campani sectari decreuit documentum edidit equandarum domoꝝ: ydoneũ quidem proposito suo ac geometricis fundamentis stabilitũ verum prolixũ ac multifariũ suspitionecꝫ plenũ adeo vt sine tedio intollerabilis ne vnam quidẽ domum quispiaz innumerus etiam exertacitissimꝰ elaborare qõ ⁊ gazulus ille aperte confitetur in quarta parte operis sui circa principium. Sex etenĩ multiplicationibꝰ sinum per sinus ⁊ item sex diuisionibꝰ ad cuspidẽ vnius domus inueniendã opus est cum plerisqꝫ additionibꝰ ac subtractionibꝰ ⁊ cautelis multiplicibus: q̃ruis itacꝫ huiusmodi domorũ distinctio rõnabiliter fundata esse: nondum tñ facultatem computandi nacti essemus quam in presentiarum explanare decreuimus: non tanq̃ vtilem futuraz astrologo: verum potius demonstraturã tabularum nostrarũ amplitudinẽ. Intra igitur tabellã domoꝝ ſm campanũ ⁊ gazulum cum eleuatione poli ad tuam regionem: ⁊ ex directo eius inuenies intersticiuz decime domus cum numero polari vndecie itemꝫ intersticiũ vndecime cũ numero polari. 12. domus: hos numeros serua

seorsum cum suis inscriptionib⁹. Appellatur aũt intersticiuz arcus quidã equatoris duobus circulis domũ quãuis claudentib⁹ interceptus. Numerus vero polaris superius est diffinitus: illud tũ non est ignorandũ vndecimã ⁊ terciam domus eundẽ habere numerũ polarem: sicꝛ duodecimã ⁊ secundã in numero polari cõmunicare. Q si congeriem intersticiorũ decime ⁊ vndecime domorũ ex. 90. gradibus dempseris intersticium. 12. domus relinquetur qõ reuera est equale intersticio prime dom⁹: intersticium aũt scẽde dom⁹ equat intersticio. 11 Qũ itaqꝫ libet eqre domos fm hunc modũ inuenias pri⁹ mediũ celi vt assolet cuius ascensioni recte adiungas intersticiũ. 10. dom⁹ ⁊ resultabit ascẽsio obliq̃ cuspidi. 11. dom⁹ respondens: qua mediatrice per tabulaz numero polari. 11. domus subiectã agnosces punctũ ecliptice memorate ascensioni appriatuz: qõ solent appellare cuspidẽ ipsius dom⁹: deinde ascensioni obliq̃. 11. dom⁹ iunge intersticium. 11. dom⁹ ⁊ colligat ascensio obliqua. 12. domus cui item adiecto intersticio. 12. dom⁹ ascensio obliq̃ prime dom⁹ aut ascendentis pdibit quam etiam hẽbis si ascensioni recte medij celi ab ariete incipienti quadrantẽ circuli adieceris. Si demũ ascensioni obliq̃ ascendentis intersticiũ prime dom⁹ addideris ascensio obliq̃ scẽde dom⁹ colligẽt: cui tandẽ interuallũ scẽde dom⁹ adiũge ⁊ hẽbis ascesionẽ obliquã tercie dom⁹. Vnaquecꝫ aũt dictarũ ascensionũ obliquarum per tabulã numero polari sue dom⁹ subiectã dom⁹ ipsius cuspidem suscitabit cognitã quẽadmodũ pro. 11. domo iam nunc monuimus. Exemplo aũt nullo opus esse reor qm̃ quidẽ mod⁹ iste equandaꝫ domoꝫ negligendus est: si tũ exercicij gra periculũ in hac re facere lubet: inuẽtis ascensionib⁹ obliqs domorũ quesitarũ cum numeris suis polaribus cuspides earũ non aliter q̃ꝫ in decimoq̃rto probleumate docuim⁹ addisces. Decimũ septimũ pbleuma.

Trum stella q̃uis aut punct⁹ ecliptice glibet sit in pte celi oriẽtali vel occidentali dinoscere. P artem celi orientalez voco eam que incipit a medio celi ⁊ ad angulũ terre per ascendentẽ eundo terminat: medietatẽ videlicet celi q̃ ad meridiẽ inspicienti a sinistris existit: reliquã aũt medietatẽ que a dextris est occidentalẽ. Subtrahe igitur ascensionẽ rectam stelle ꝓpositę ab ascensione recta medij celi ad instans ꝛsiderationis tue adiecto integro circulo si op⁹ fuerit ⁊ relinquet elongatio stelle a meridiano q̃ si minoꝛ fuerit semicirculo. 180. graduũ stellã ipsaz in medietate occũtali dices esse: si aũt maioꝛ. 180. gradib⁹ in oriẽtali: q̃ si p̃cise 180. grad⁹ cõplexa fuerit anguluz terre stella ipsa occupabit: si aũt nihil fuerit residuũ in medio celi stellã esse pnunciabis. ¶ Exemplũ breue mediũ celi hẽat 22. grad⁹ ⁊ 49. mĩ. geminoꝛ: sol aũt i fine. 6. gradus thauri repiat volo tentare ꝓpositũ h⁹ pbleumatis de sole: ascensio recta medij est. 82. grad⁹ ⁊. 10. minuta ascensio aũt recta solis. 33. gradus ⁊. 40. minuta quã minuo ex ascẽsione recta medij celi ⁊ relinquunt. 48. gradus cum. 30. minutis scz elongatio solis a meridie minoꝛ semicirculo: quare solẽ esse in medietate occidentali celi enuncio.

Decimumoctauum probleuma.

Vtrum stella sit supra terram aut sub terra faciliter coniectare ex antedictis arcū semidiurnū stelle ac seminocturnū addisce deinde si stella fuerit in medietate occidētali ⁊ elongatio ipsi⁹ a meridie minor arcu semidiurno stella ipsa supra orizontem constituetur. Si aūt dicta elongatio a meridie arcum semidiurnū superauerit: sub terra versabitur ꝓposita stella: elongatiōe demum a meridie ⁊ arcu seminocturno existentib⁹ equalibus stellam ipsam orizon occidentalis tenebit. At stella medietatem celi orientalē occupante demptis. 180. gradibus ex elongatione eius a meridie relinquetur elongatio eius ab angulo terre: q̄ si minor arcu seminocturno stelle extiterit: nondum supra terram emersisse stellam dices. Si autem arcum seminocturnū excesserit supra terram proculdubio constituetur. Q̄ si arcus seminocturn⁹ elongationi ab angulo terre equalis extiterit stella ipsa orizontem orientalē possidebit. Idem aliter experieris ac multo breuius si prius ascendentez gradum punctūqz ecliptice quo cum stella oritur: ⁊ item punctū cum quo occidere solet recte didiceris: hoc enim pacto scies vtra medietatum ecliptice supra orizontē aut infra eum existat: ⁊ si punctū cum quo stella oritur fuerit in parte orientali nondum tñ occiderit: scies stellam quoqz nondum ortam esse. si aūt punctum cum quo occidit fuerit in parte occidentali nondum tñ occiderit: scies stellam nondū quoqz occidisse: pariformiter conijcies stellam esse ortam vel occidisse: ꝑm habitudinē pūcti ecliptice oriri vel occidere soliti cū ipsa stella: vnde tandē situm stelle supra terraz ne fuerit an sub terra plane intelliges. ¶ Exempli gra repetatur situs solis qui in precedenti ponebatur: mediū celiqz idem nunc subiciatur ex duodecimo probleumate ad latitudinē. 48. graduū: concludo arcū semidiurnum solis. 105. graduum ⁊. 32. minutorū: erat autem elongatio solis a meridie. 48. graduum et. 30. minutorum minor scz arcu semidiurno: quare solem supra terram esse pronuncio: cetera omnia facilia sunt.

Decimumnonum probleuma.

Istantiam stelle a meridiano concludere: cuius elongatio et distantia a meridiano promiscue plerūqz sumuntur: in presentiarum tñ discrimine quoddam eis interiecimus quo sermo noster articulacior ac lucidior redderet: in hoc nempe conueniunt ꝙ vtraqz est arcus equatoris ꝛclusum inter meridianū regionis ac circulū per polos mundi ⁊ centrum stelle transeuntem verū elongatio semper a stella versus meridianum ꝑm signorum consequentiam accipitur. Distantia autem nonnunqz contra signor sequelam in equatore perpenditur: distantia deniqz semper aut tota est supra orizontem aut tota infra eum. Elongationis autem pars altera supra orizontem nonnunqz existit: altera autem pars sub orizonte

Si igit stella supra terram existens nondum attigit meridianū: subtrahe ascensionē rectā medij celi ab ascensione recta stelle: si aūt meridianū transierit supra terrā adhuc existens: ascensionē stelle rectā ex ascensione recta medij celi deme ⁊ relinquet distantia stelle a meridiano diurna. Non aliter computabis distantiā eius a meridiano nocturnā si sub terra extiterit. Si enim ante meridianū sub terra fuerit ascensionē rectam anguli terre ex ascensione recta stelle minues. Si aūt angulū terre transierit econtra ascensionē rectam stelle ex ascēsione recta anguli terre minues: relinquet enim nocturna eius a meridiano distantia versa demum vice si stella supra terram existens nondum attigerit meridianū distantiā eius a meridiano ex ascensione sua recta demes: ⁊ relinquet ascensio recta medij celi: aut si ascensionē sue recte huiusmodi a meridiano distantiā adieceris stella ipsa meridianū pretereūte resultabit ascensio recta medij celi. Similiter ascensionē rectam anguli terre deprehēdes si stella talis sub orizonte depressa fuerit. Hinc postremo tam celi medium ꝗ angulum terre per quintuz probleuma cognoscendi dabit facultas preterea ascensio solis recta demptn ex ascensione recta medij celi adiecto integro circulo vbi opus fuerit relinquet elongationē solis a meridie. Ex qua tandem quot hore equales post meridiem effluxerint facile coniectabis si prius per quindenos grad⁹ memoratam distribueris elongationē. Hec breuiter ad modū propter sequentia perstringere fuit consiliū: ne ampliandi libri potius ꝗ res nouas ac vtiles tradendi gratia calamū versasse videremur: presertim cum alibi res huiuscemodi plerisq; in locis tractate sint ⁊ quidem abundissime.

Vigesimum probleuma.

Quantum eleuat polus borealis supra circulum positionis stelle cuiusuis aut alicuius signati puncti in celo inuestigare. Huc huc arrige aures tuas quicūq; totā dirigendi artē nec non stellas in 12. celi domicilijs sistendi arte naucisci voles: cui negocio nōnullas tabulas exarauimus quas tabulas positionum particulares appellare libuit: quarū vnaqueq; in latere suo sinistro geminā habet declinationē septētrionalē scz ac meridianā vsq; ad. 32. gradus tantā eniz declinationē planete nunq; transliiunt: quoz gratia potissimū dicte tabule sūt contexte. In latere aūt superiori videlicet transuersali numeros eleuationum poli supra circulos positionū ordinauim⁹: arca vo tabule vniuscuiusq; distātias stellarū a meridiano cōprehendit. Circulū aūt positionis appello eum qui per duas cōes sectiones meridiani ⁊ orizontis aut per centrū stelle aut punctū celi signatū incedit: quē etiā orizontē stelle nōnūq; vocari licebit. Si igit stella vel punctus datus supra terrā existit quere declinationē eius in latere sinistro tabule ad regionē tuā facte: in parte quidē superiori si septētrionalis: in parte aūt inferiori si meridiana fuerit ⁊ inuersi⁹ distantiā stelle a meridiano siue ante meridiana fuerit siue post meridiana: ex directo enī iam dicte distantie superi⁹

in capite tabule offendes numerū eleuationis poli quesitū. Si uero stella aut punctus propositus sub orizonte extiterit quere declinationē eius in parte superiori lateris sinistri si declinatio ipsa meridiana fuerit aut in parte inferiori si septētrionalis: in arca aūt tabule distantiā stelle a meridiano: ⁊ scōm modū iam nūc expositū in fronte tabule offeret numerū eleuationis poli quē querebas. At si stella declinatione caruerit querenda erit similiter distantia eiūs a meridiano in vltimo versu superioris pagine ⁊ ex directo eius in capite tabule inueniet eleuatio poli quesita. Meminisse tamē debes operandū esse duplici introitu quādo distantia a meridiano non integra offendit in arca tabule quē admodū facere solemūs per ascēsionē rectā arcū eclyptice ei debitū inuestigaturi. Si tamē huiusmodi exactā cōputationē paulo remissius curaueris vice numerorū tuorū introitu aliū accipere poteris numeros eis q̄ vicissimos in tabula saltē expressos: sic enī breuissime ac sine errore notabili ꝓpositū tuū cōsequeris. Cuiūrei grā sit stella quedā in fine. 12. gradus virginis habēs latitudinē septētrionalē triū gdūū atq̄ idcirco declinationē septētrionalē. 9. graduū ⁊. 51. minutorū: distātia aūt eius a meridiano supra terrā sit. 53. graduū ⁊. 10. minutorū: volo experiri quāta sit eleuatio poli septētrionalis supra circulū positionis eiūs in regione latitudinis. 48. graduū si declinatio stelle fuisset precise. 10. graduū ⁊ distantia a meridiano. 52. graduū cū. 37. minutis inuenisses. 38. gradus eleuationis poli in fronte tabule: verū declinatio non habet plene. 10. gradus sed ꝓpinqua est. 10. gradibūs quare intranti mihi cum. 10. gradibūs partē tabule superiorē occurrit distantia a meridiano proximo minor ꝓposita distantia. 52 graduū ⁊. 37. minutorū; primo aūt maior. 55. graduū ⁊. 2. minutorū. dēra harum distantiarū est. 2. gradus ⁊. 25. minuta: que correspondent vni gradui eleuationis poli: hanc dēram pono ꝓ primo numero. Item minorē distantiā subtraho a distantia ꝓposita ⁊ relinquunt. 33. minuta ꝓ secundo numero. tertiūs aūt numerus semper est. 60. minuta: duco igit secūdū in terciū nascunt. 1980. secūda q̄ diuido p. 145. minuta equipolētia duobūs gradibūs ⁊. 25. minutis exeūt fere. 14. minuta addēda. 38. gradibūs: eleuatio itaq̄ poli supra circulū positionis stelle est. 38. graduū ⁊. 14. minutorū. Q̄ si adhuc pcisius habere volueris huiusmodi eleuationē declinatione habente aliq̄ minuta iuxta gradūs: intra primo cū declinatione ꝓ primo minori extrahēdo eleuationē poli vt iā dictū est: deinde cum declinatione ꝓ primo maiori in tabula expressa et filr elice eleuationem poli: de dēra aūt harum eleuationū accipe partē ꝓportionalē scōm ꝓportionē minutorū existentiū iuxta gradūs declinatiōis quā adde prime eleuatiōi si secūda maior fuerit ea aut minue ex ea si secūda fuerit minor. hoc enī pacto exactius cōprehendes eleuationē poli quesitā.

Vigesimū primū pbleuma.

Ut qua. 12. domorū celi stella queuis aut punctū celi quodlibet constitutā explorare. De stella semp intelligas aut pūcto celi declinationē. 32. graduū nō egrediente: postq̄ igit ex ante mēoratis inicia. 4.

domoꝝ angulariũ cognoueris: itēq; pũcta ecclyptice cuꝝ quib⁹ stella ꝓposita ⁊ oriĩ ⁊ occidit ac celũ mediat: apte cõtēplaberis: fit ne stella in aliquo dictoꝝ anguloꝝ an nõ. At si nullũ taliũ anguloꝝ obtinuerit scies in q̃ q̃tuor quartarũ ẕe li dictis punct⁹ angularib⁹ interceptarũ ꝓsistet: vt aũt dom⁹ ei⁹ inueniat hoc accipe ꝑambulũ: dom⁹ vndecima ⁊ qnta itēq; nona ⁊ tercia q̃ruis duob⁹ circulis positione differentib⁹ determinent: pol⁹ mũ borealis equalit ab vtroq; eoꝝ remouet. Sil⁹ duodecima ⁊ sexta itē octaua ⁊ secũda ꝑ duos circulos positione diuersos cognoscũt: verũ tũ pol⁹ borealis eq̃ualit supra vtrũq; eoꝝ eleuat. Cognito itaq; ex ꝑcedẽti quãtũ pol⁹ borealis supra circulũ positionis stelle eleuat cõfer numerũ hmõi eleuatiõis ad nũeros polares. 11. ⁊ 12. domoꝝ ꝑ quartuꝝ decimũ, ꝑbleuma reptos nã si fuerit eq̃lis nũero polari. 11. dom⁹ ⁊ stella ipa in q̃rta oriẽtali diurna mãserit cuspidẽ vndecime necessario occupabit. Si aũt in q̃rta oriẽtali subterranea fuerit ĩ cuspide tercie dom⁹ ꝓstituet: at si numer⁹ ꝑdictis sese nõ excedẽtib⁹ stella q̃rtã occidẽtalẽ sublimẽ tenuerit: in principio none dom⁹ ꝓcul dubio repiet. Si vo in quarta occidẽtali subterranea extiterit cuspidẽ qnte dom⁹ eã obtinere necesse est. Sz si eleuatio poli supra circulũ stelle positionis nũeꝝ polarẽ. 12. domicilij eq̃uerit eo ordine ac modo vti iã pridẽ ꝓdictabim⁹ stellã eẽ aut ĩ ꝓncipio. 12. aut. 2. aut. 8. aut. 6. dom⁹. In principio videlz alicuius dictarũ domoꝝ q̃ cũ stella ꝓposita in eadẽ q̃rta collocat ꝗ si eleuatio poli supra circulũ positiõis stelle nõ fuerit eq̃lis alteri duoꝝ numeroꝝ polariũ ꝑfatoꝝ certũ est stellã non esse ĩ cuspide alicui⁹ domoꝝ mẽorataru: vũ si minor fuerit numero polari. 11. dom⁹ cõstabit stellã esse in. 10. domo vel. 9. vel. 4. vel 3, put q̃rta stellã ipsaz tenens edocebit. Si vo dicta eleuatio maior fuerit numero polari. 11. dom⁹: minor tũ numero polari. 12. stella erit aut ĩ. 11. aut. 8. aut qnta aut scda. Si aũt eleuatio poli sepe memorata excesserit numerũ polarẽ. 12. dom⁹ stellã ipsam aut in. 12. aut. 6. aut. 7. aut prima modo suprascripto cõperies. Poteris etiã aliter experiri stellã quauis prope cuspidẽ alicui⁹ dom⁹ existẽte scdm locũ lõgitudinis sue sit ne añ cuspidẽ an post eã aut in ipsamet cuspide ꝑsertĩ si habuerit latitudinẽ quã si nõ haberet nulla spãli doctrĩa op⁹ eẽt. Nã si stella fuerit ꝓpe mediũ celi aut angulũ terre: pũct⁹ celi mediationis stelle cõpatus ad mediũ celi aut angulũ terre te reddat ĩ hac re cerciorẽ. Si aũt prope ascendentẽ fuerit punct⁹ eclyptice cũ quo stella oriri solet id edocebit. Idez faciet punctus eclyptice cũ quo stella solet occidere si circa gradũ occidentem stella extiterit. Si aũt circa cuspidẽ alicuius domoꝝ orientaliũ inuenta fuerit scita eleuatione poli supra orizontẽ eiusdem domus circulũ dico qui determinat iniciũ talis domus terciũdecimuꝝ, ꝑbleuma quere punctum eclyptice cum quo oritur stella proposita supra orizontẽ eiusdem domus: illud enim punctũ cuspidi dom⁹ collatũ: stelle stum respectu memorate cuspidis demonstrabit. Non aliter argumẽtaberis per punctũ eclyptice cũ quo stella occidit sub orizõte alicui⁹ domoꝝ occidẽtaliũ eius videlicet iuxta cuius principiũ stellam tu am

offenderis. Nolim o lector multitudine verborꝝ absterrearis facillimā enī ipe cōfiteberis operationū expositam vbi mediocri prius exercitatione fueris vsus ¶ Exemplo tamē breui trāquilliorē animū tibi reddā. Stella p̄cedentis probleumatis habuit eleuationē poli supra circulū positionis sue .38. graduum ⁊ 14. minutorꝝ ponatur ipsa in quarta orientali diurna: ex quartodecimo aūt probleumate ad latitudinē .48. graduū didici numerꝝ polarē vndecime dom⁹. 29 graduū ⁊. 2. minutorꝝ: numerū aūt polarē duodecime. 43. graduū ⁊. 53. minutorꝝ cū itaq̄ eleuatio poli supra circulū positionis stelle sit maior numero polari vndecime dom⁹: minor aūt numero polari duodecime cōcludo stellā esse in 11. domo. Silr in alijs casibus te expedies. Vigesimū secūdū pbleuma

Trū due stelle vtrūq̄ pposite in vno circulo positionis iaceāt explorare Trib⁹ modis stellarū cōiunctiones astronimi cōsiderant primū quidē scōm circulos p polos eclyptice incedētes qū videlicet vn⁹ talis circulus ambas cōplectit stellas. Scōo scōm circulos p polos mūdi incedētes. Tercio aūt scōm circulos iner idiano ⁊ orizonti in duab⁹ eorꝝ sectionib⁹ coeuntes. Hoc genus coniunctionū. hali expositor quadripartiti ptolomei diligenter obseruare solet q̄ magnā in natiuitatib⁹ vim habeat. Huiusmodi igit̄ ꝓiunctionē in hoc pposito q̄rere instituimus. Sint ne videlz stelle pposite in vno tali circulo an non. Id aūt p vigesimū pbleuma experiri nudū est. Nam si stellis ppositis vna ⁊ eadez fuerit eleuatio poli borealis supra circulū positionis: cōiunctas modo p̄dicto enunciabim⁹: si vero diuerse fuerint eleuationes poli supra circulos positionū nō erunt cōiuncte. Oportet aūt ante omnia stellas ipsas in vna ⁊ eadem quatuor quartarū meridiano ⁊ orizonte distinctarum constitutas esse. Simili argumento vtemur circa quecūq̄ duo puncta celi quando eorum cōiunctionez scire desideramus. Nullo hic exemplo opus esse reor propter faciliatem probleumatis. Vigesimū terciū probleuma.

Blatis duab⁹ stellis aut duob⁹ punctis celi possint ne modo p̄dicto ꝓiungi infra diē vnū naturalē pserutari Scito primū vtriusq̄ stelle declinationē ac ascēsionē rectā: deinde subtrahe ascēsionē rectā vni⁹ eaꝝ ab ascēsiōe recta alteri⁹ ⁊ relinquet̄ dr̄a hmōi ascēsionū rectarꝝ quā vocabim⁹ interuallū equinoctiale id aūt interuallum min⁹ esse debet semicirculo. Nam si mai⁹ eueniret cōuersim agendū esset minuēdo videlz ascensionē a qua prius facta fuit subtractio ex reliqua accomodato integro circulo si opus fuerit: si aūt huiusmōi interuallū semicirculo equale esset stelle pposite nequaq̄ modo p̄dicto cōiungi possent Considera demum vtra stellarum prior ad meridianum perueniat quod per ascensiones earum rectas facile conijcies: eam etenim precedentem appellabimus: reliquam autem sequentem. Preterea sciendum vtra earum polo boreali vicinior existat: quod quidem ex declinationibus earum addisces.

Nam si equales & ad eandem partem equatoris habuerint declinationes nō erit earū coniunctio possibilis: nisi etiā simul scōm longitudinē zodiaci coniungant: quod genus cōiunctionū in presentiarū nobis non est cure. His ergo sic prestitis quere vtriusq; stelle declinationem in latere sinistro tabule positionis ad regionē tuam factā notando etiā partē declinationis vtriusq; primo qdez supra terrā: deinde aūt sub terra & ex directo vtriusq; declinatiōis pcurre cōes numeros distantiarū a meridiano vsq; ad finem tabule. Nam si sub vna & eadem declinatione poli duas distantias a meridie inueneris quarū differentia equalis fuerit interuallo equinoctiali superius seruato: possibilis erit dictarū stellarū coniunctio. Item si inueneris duas huiusmodi a meridie distantias minus dicto interuallo equinoctiali differētes & alias duas predictis imediatas plus eo interuallo differentes iterū possibilitatez cōiunctionis predicabis Ut aūt scias in qua parte celi coniunctio talis eueniet illud accipe argumentū Quando stella precedēs meridionalior est sequente & pars declinationis accepta est supra terraz memorata cōiunctio erit in quarta orientali supraterranea. Dum vero precedēs stella septētrionalior existit in quarta occidentali supra terranea coniunctionez euenire necesse est. Si autem partē declinationis sub terra acceperis & stella precedēs septentrionalior fuerit quarta occidentalis subterranea ipsam cōiunctionē habebit: parte item declinationis sub terra si fueris vsus & stella precedens meridionalior extiterit in quarta orientali sub terranea procul dubio tali coniunctioni locus vendicabit. Horaz preterea memorate cōiunctionis opere preciū est agnoscere: per distantiā igit vtriusuis stellarū a meridiano ac ascensionē eius rectā: ascensiōz quoq; rectā medij celi cognosces: ex qua demū & ascensione solis recta decimonono probleumate dirigente horas a meridie vsq; ad instans dicte cōiunctionis exactas docte computabis. Eleuationē poli aūt borealis supra circuluz positionis in qua stellas ipsas coniungi oportebit directe supra distātias stellarū a meridiano in fronte tabule offendes. Q; si vnus quidē excessus distantiarū a meridiano minor fuerit interuallo equinoctiali supradicto: alter aūt maior eo: atq; idcirco coniunctio stellarū possibilis vti paulo ante recitauimus Voluerisq; scire eleuationem poli borealis supra circulū positionis in quo cōiungēt: subtrahe minorem excessum distantiarū a maiore excessu distantiaz a meridie & residuū vocabis numerū primū. Deinde excessum distantiarū repertaz sub minore eleuatione poli: confer ad sepedictū interuallū equinoctiale: dramq; eorum pro numero secundo statue: tertius aūt numerus in hoc negocio semp erit sexagenarius minutoz: ducitaq; secūdū in terciū & productū partire per primū notata diligenter denominatione quēadmodū in alijs similibus operationibus fieri solet: exibit enim numerus minutorū ad eleuationez poli minorem addendorum hoc pacto eleuationē poli supra circulum positionis stellas ipsas coniungentem ra-

tionabiliter computabis. Distantiā aūt vtriusuis stellarū a meridiano pro instanti talis cōiunctionis hac lege scrutaberis: vide quantū duabus distancijs proximis alterius duarū stellarū interest: distantijs inquā quas ante hoc contractauimus. Acceptāq; partē proportionalē de dēa earū scōm proportionez minutorū elevationis poli nuperrime inuentorū ad. 60. adicias prime distantie a meridiano si minorem secunda offenderis aut ab ea minue si maiorē qcqd enim congregabit vel relinquet prout res ipsa postulat distantiā stelle a meridiano pro instanti cōiunctionis patefaciet: voco aūt primam distantiā a meridiano eam que sese lectori prius offert a latere sinistro tabule dextram versus eunti: que videlz elevationē poli minorē supra se habet. ¶ Exempli gratia habeat stella quedā. 2. gradus virginis cum latitudine meridionali. 3. graduum alia aūt in fine quarti gradus virginis reperiat cum latitudine septentrionali vnius gradus. Sol vero. 7. graduum cancri obtineat volo explorare an dicte stelle possint cōiungi infra diem naturalē in regione habente latitudinez. 48. graduū. ⁊ si ciungēt qua hora id futurū sit: prima stella per primū probleuma habet declinationē septentrionalē. 11. graduū. Item per terciū pbleuma prima habet ascensionē rectaz. 152. graduum ⁊. 55. minutorū: secunda aūt. 156 graduū ⁊. 16. minutorū subtrahio itaq; alterā dictarū ascensionū ab altera minorem scz a maiore ⁊ relinquunt. 3. gradus cum. 21. minutis quos appello interuallū equinoctiale. Cum aūt ascensio recta prime stelle sit minor ascensione recta secunde stelle: necesse est primā stellā prius peruenire ad meridianū q̄z secundā: primā ergo vocabo precedentē ⁊ secundā sequentez: est aūt precedens stella meridionalior sequente id est minus distat a polo australi q̄z secūda: cū declinatio eius septētrionalis minor sit declinatione septētrionali sequentis stelle. Quero itaq; declinationes dictarū stellarū in latere sinistro tabule positionū ad. 48. gradus latitudinis ac si stelle sint supra terram ⁊ ex directo earū transcurrendo binas earuz a meridie distantias sub eleuatione poli. 46. graduum reperio distantiā precedentis a meridie. 77. graduuz ⁊. 10. minutorum distantiā aūt sequentis. 80. graduum ⁊. 25. minutorū harum distantiarū excessus est. 3. gradus ⁊. 15. minuta qui si fuisset gradus tres. 21. minuta iam concluderet possibilitas cōiunctionis future in circulo supra quem polus eleuat 46. gradibus. Sed quoniā dictus excessus minor est interuallo equinoctiali transeo ad sequentes duas distantias quaruz vna scz stelle precedentis est. 83 gradus ⁊. 35. minuta. Alia aūt stelle sequentis est. 86. grad° ⁊. 57. minuta excessus harum distanciarū est. 3. gradus ⁊. 22. minuta: maior videlicet interuallo equinoctiali: quare concludo stellas memoratas coniunctū iri. Cum autez precedens stella meridionalior sit stella sequente ⁊ declinationes accepte sunt ac si stella supra terram existant: coniunctio earum erit in quarta orientali supra terraz. Vt autem instans coniunctionis mihi innotescat prius inuenio ele

uationem poli supra circulum positionis in quo coniungent hoc pacto. Excessus primarū distantiarū est .3. gradus ⁊. 15:minuta:excessus aūt secundarū est.3.gradus ⁊.22.minuta quoꝝ differentia scilicet.7.minuta statuo pro primo numero. Item excessum primarum distantiarū minuo ex interuallo equinoctiali ⁊ relinquunt.6.minuta pro secundo numero:tertius autez semper est 60.minuta duco secundū in tertiū producunt.360.secūda que diuido per.7. minuta ⁊ exeunt.51 .minuta fere addenda.46.gradibus ⁊.51 . minutis elevationis poli que ponit directe supra primas distancias . Sic ergo comphendo q̃ polus borealis eleuat.46.gradibus ⁊.51 .minutis supra circulum positionis in quo coniungunt memorate stelle:deinde subtraho primam distantiam stelle precedentis a secunda eius distancia ⁊ remanent.6.gradus cum.25. minutis quarum pars proportionis scōm proportionez .51 .minutorum ad .60. est.5.gradus.27.minuta eaz partem proportionalē addo distancie stelle precedentis resultant.82.gradus ⁊.37.minuta:tantāqz dico esse distantiam stelle precedentis a meridie pro instanti coniunctionis ipsarum stellarū: quā distantiā demo ex ascensione recta stelle precedētis ⁊ relinquit ascensio recta medij celi.70.graduum ⁊. 18.minutoꝝ:ascensio aūt recta solis est.97. gradus ⁊.38. minuta quam demo ex ascensione recta medij celi accomodatis. 360. gradibus ⁊ remanet elongatio solis a meridie.332.graduum ⁊. 40 . minutoꝝ quadiuisa per. 15. exeunt.22.hore ⁊. 11 .minuta quibus a meridie transactis talē cōiunctionē fieri necesse est. Hoc aūt pro corolario tenēdū est q̃ quelibet due stelle proposite aut penitus non coniungent modo predicto aut bis cōiungentur infra diem vnū naturalē. Semel quidē supra terram ⁊ semel sub terra.vnde si cum declinationibus assumptarū stellarum ingressus fueris tabulam ac si stelle sint sub orizonte reperies q̃ ipse coniungent sub terra in circulo supra quem polus eleuat.46.gradibus ⁊.51 .minutis quemadmodum iam pridem accidebat.

Vigesimū quartū probleuma.

Ato quocūqz ascēdēte in orizōte quolibet reliquarū domoꝝ inicia artificialiter elicere. Superius traditū est quo pacto. 12.celi domicilia rōnabiliter cōstituant sumpto exordio ab angulo medij celi:ibi enī p additionē cōtinuā trigenoꝝ graduū ad ascēsiones rectas medij celi ascēsiones obliquas inicijs reliquarū domoꝝ respōdētes ac demūp tabulas singulis domib⁹ appropriatas ipsarū domoꝝ principia didicimus:hic aūt dato ascendente ex tabula regionis per septimuz probleuma ascensiones eius obliquas hauriemus a quibus si.30.gradus reiecerimus ascensio obliqua inicio. 12.domus debita relinquetur. Item ab eadem ascensione obliqua duodecime domus. 30. gradus abiecti ascensionem obliquam vndecime domui pertinentē relinquent q̃ si adhuc.30.gradus dempseris ascensionē rectaz medij celi residuā. cōspicies

Atq; trigenorũ graduũ additione continua super ascẽsiones obliquas ascendentis prime ⁊ secũde domoꝝ oblique ascensiones conflari solent. Super vacaneũ aũt videt denuo monere quo pacto prefatarũ domoꝝ principia ꝑ ascẽsiones suas oqliquas inuestigentur cum ante hac in quartodecimo probleumate id satis explanatũ sit: quãuis itaq; memorati negocij gratia presens probleuma edidisse videamur tenore verboꝝ id persuadente longe tamẽ spectabiliorem metam cursui nostro obiectare arbitrati sumus: que vt cognitu facilior reddat paulo distantius ordiendũ est. Solent egregij astroꝝ iudices vitã parentũ ex genitura filij primogeniti ⁊ econtra diiudicare statuendo videlicet locum solis quidẽ in natiuitate diurna filij: locum aũt saturni in nocturna tanq; ascendentẽ patris: itemq; locũ veneris quidem in genitura diurna luna autẽ locũ in nocturna pro ascendente matris huic omniũ domoꝝ celi eliciunt ordinem: accidentiaq; parentibus obuentura pronunciãt. Non aliter faciunt pro moribus fratrũ filioꝝ vxoris amicoꝝ ac inimicoꝝ discernendũ ponendo videlicet singuloꝝ significatores pro ascendente que res quanti sit momẽti vix paucis dare possemus: id ergo aliunde petendũ silentio preterimus ad ceptum negociũ principali descensuri. ¶ Cum itaq; figuram patris verbi gratia erigere volueris ⁊ sol (nascente filio) fuit in ascendẽte: nõ erit figura patris diuersa a figura filij. Si aũt sol in meridiano extiterit adde ascensioni recte solis. 30. gradus ⁊ habebis ascensionẽ rectam principij secunde domus pro figura patris Item ascensioni recte secunde domꝰ adde. 30. gradus ⁊ congregabit ascensio recta principio tercie domus debita. Similiter per additionẽ continuã trigenoꝝ graduũ habebis ascensiones rectas quarte domoꝝ quinte ⁊ sexte vnde ꝑ quintũ probleuma principia dictarũ domoꝝ ⁊ deinde domoꝝ oppositarũ cognosces. Sole aũt in angulo occidentis constituto cuspides domoꝝ in figura patris non different a cuspidibus domoꝝ filij verũ aliud erit principiũ numerationis domoꝝ: septima enim filij erit prima patris: octaua aũt filij pro secunda patris accipiet ⁊ ita de reliquis ex ordine. Q; si sol in genitura filij angulũ terre occupauerit non aliter q̃ si in medio celi esset operabimur. Significatore aũt paterno nullũ dictoꝝ angulorꝝ tenente: eleuationez poli borealis supra circulũ positionis in quo iacet significator: qui circulus orizon etiã significatoris appellabit per vigesimũ probleuma addiscas ⁊ si fuerit dictus significator in medietate celi orientali scõm orizontẽ regionis quere ascensionẽ obliquaz eius in orizonte suo per septimũ probleuma. Item numeros polares domoꝝ ad eundẽ orizontẽ quibus rebus comprehensis per ea que in principio presentis documenti exposuimus. 12. celi domos artificiose constitues. Si aũt significator pris fuerit ĩ medietate celi occidẽtali: accepta eleuatione poli supra orizontẽ eius: numerisq; polaribus domoꝝ inuentis ad eundẽ orizontem: quere descensionẽ eius obliquã ad orizontẽ suum. Deinde aũt non aliter procedẽq;

ante hac de sole precepimus qñ in occidẽtali orizonte filij ponebat. Meme to tñ exposita hactenus dumtaxat veritatẽ tenere qñ significator huiusmodi latitudine prorsus caret: nam si latitudinẽ quantãcunq; haberet: inuenta eleuatione poli supra circulũ positionis sue aut orizontẽ suum quere punctum cum quo oritur in eodem suo orizonte si fuerit in medietate orientali: aut punctũ cũ quo occidit in orizonte suo si fuerit in medietate celi occidẽtali: deinde cũ illis punctis ecliptice proceda quemadmodum antea fecisti cum significatore non habente latitudinem. ¶ In exemplo sit genitura alicuius filij primogeniti. 23 horis & 29. minutis a meridie transactis fm dies equatos in regione habente latitudinem. 48. graduũ sole existente in fine. 26. gradus cancri: volo constituere locum solis pro ascendente patris & exinde totam domorũ figuram elicere sub traho. 23. horas & 29. minuta a. 24. horis remanent. 31. minuta vnius hore que equipollent. 7. gradibus & 45. minutis equatoris aut palelli solis: quare dico solẽ distare a meridiano versus orientem. 7. gradib⁹ & 45. minutis. Declinatio autẽ solis septentrionalis erit. 21. graduum cum & qua predicta distantia solis a meridiano ingredior tabulã positionis ad. 48. grad⁹ latitudinis & fm documentum. 20. probleumatis inuenio eleuationem poli borealis supra circulum positionis solis. 6. graduum: eo autem circulo positionis deinceps vtar tanq; orizonte regionis habentis latitudinem. 6. graduũ. Intro igitur tabellam domorum rationales cum. 6. gradibus eleuationis poli & ex directo eorũ inuenio numerum polarem vndecime. 3. graduũ: numerum aũt polarem duodecime 5. graduũ & 11. minutorũ quorum vice accipiam. 5. gradus propter breuitatem ascensio obliqua solis ad latitudinem. 6. graduũ est. 115. gradus et. 42. minuta a qua ascensione subtraho. 30. gradus & remanẽt. 85. gradus cum. 42. minutis pro ascensione obliq; duodecime domus patris: item ex ascensiõe obliqua. 12 minuo. 30. gradus remanent. 55. gradus & 42. minuta pro ascensiõe obliqua vndecime a qua demũ subtractis. 30. manent. 25. gradus cum. 42. minutis pro ascensione recta decime domus. Rursus per continuam additionem trigenorũ graduũ ad ascensionem obliquam ascendentis seu loci solis elicio ascensionem obliquã. 2. dom⁹. 145. graduũ & 42. minutorũ: ascensiõem aũt obliquã. 3. dom⁹ 17. graduũ & 42. minutorũ. Ex illis aũt ascensionibus inuenio cuspides dictarũ domorũ eisq; diametraliter positarũ quẽadmodẽ in 14. probleumate traditũ est: decime quidem. 27. gradus & 41. minuta arietis: vndecime aũt. 29. gradus cũ. 2. minutis thauri: duodecime. 28. gradus & 4. minuta geminorum: secunde 24. gradus & 35. minuta leonis: tercie vero. 25. gradus & 24. minuta virginis.

Vicesimumquintum probleuma.

Significatorem quemlibet ad locum propositum quemcunq; fm signorũ consequentiã artificialiter dirigere. Priusq; ad operatiõem descendetur: nõnulla vocabula presentis negocij diffinienda sũt Dirigere non est aliud q̃ mouere speram donec locus secundus

traducitur ad situm primi:id autem tunc accidere ptolomeus clarissim⁹ asserit quando locus secundus perducitur ad circulum in quo iacuit locus primus aut econtra locus primus transfertur ad circulum in quo ponebatur locus secundus. Circulum dico coincidentem meridiano ⁊ orizonti in vtraq; eorum cōmuni sectione quez superius circulum positionis appellare libuit. Locū aūt primū voco eum cuius noticia prior in mentez venit aut quem dirigere iubeor. Locus vero secundus est is ad quem dirigitur primus:locus primus plerunq; vocari solet significator qd alicuius rei habitudinem in celo repzesentat:locus autē secundus non iniuria promissor appellabitur qd futurum aliqd accidens siue bonū siue malū portendat. Significator itaq; habet vicē subiecti recepturi aliquid a promissore in certo tpe cuius quidez temporis quantitatem directio metiri solet quemadmoduz iudicibus placet. Directio autem est motus primi mobilis quo videlicet significator traducitur ad situm promissoris aut econtra. solet tamen vt plurimum accipi directio pro arcu equatoris qui coascendit vel condescendit interuallo quod est inter significatorem ⁊ promissorem respectu circuli positionis:in quo alter eoz iacet:vnde ⁊ dirigere tunc dicimur quando huiusmodi arcum docte numerabimus. Duplicem aūt directionē distinguere solent astrologi:quarū vna quidē vocatur directio directa in q̄ videlicet locus secund⁹ id est promissor intelligitur transferri ad sitū primi id est significatoris: Dicitur etiam directio ꝑm signoꝝ successionem. Alia aūt vocatur conuersa aut contra successionem signoꝝ,in qua locus primus intelligitur transferri ad locum secundum:hac secunda directiōe vtuntur iudices pro parte fortune ac alijs partibus ⁊ pro planetis retrogradis. Qñ igitur significator in meridiano constituitur siue supra terrā siue sub terra subtrahe ascensiones eius rectas ab ascensionibus rectis promissoris accomodato integro circulo.360.graduuz si opus fuerit ⁊ relinquetur directio significatoris quesita. Si aūt fuerit in ascendente minue ascensionē eius obliquam ex ascensione obliqua promissoris: sic enim reliqua manebit directio significatoris quesita:Nō aliter operaberis per descensiones si significator fuerit in occidente:subtracta enim descensione obliqua significatoris a descensiōe obliqua promissoris relinquet directio q̄sita. Ueruz si significator non fuerit in aliquo dictoruz angulo ꝯ per. 19. pbleuma scias distantiam eius ab angulo medij celi si fuerit supra terrā:aut ab angulo terre si sub terra extiterit. Deinde per.20.probleuma eleuationē poli borealis supra orizontē significatoris:aut circulū positionis addiscas:postea ad eandē eleuationem poli computa ascensionem obliquam significatoris ;per septimū quidem probleuma si latitudine caruerit significator ipse:per decimum autez si quam habuerit latitudinem similiter ad eandem eleuationem poli ascensio obliqua pmissoris inueniatur: demptaq; ascensione obliqua significatoris ex ascensione obliqua promissoris residuum numerabit directionem quesitam.

Si aũt significator fuerit in parte occidẽtali celi descensio obliq̃ significatoris ad eandem eleuationem poli supra circulum positionis accepta: per octauum quidem probleuma si nullam habuerit latitudinem: per vndecimum autem si quam habuerit latitudinẽ: descensio inquam minuenda est ex descensione obliqua pmissoris eodẽ modo accepta: sic enim relinquet directio quam q̃rebas Nulla prorsus exemplari computatione hic est opus si ea que circa ascensiões ac descensiones iam dudum monuimus ⁊ operati sumus recte didicisti.

Vicesimumsextum probleuma.

Vo pacto significator quispiam contra signorum successionez dirigendꝰ sit lucubrare. Directio significatoris cuiuspiaz contra signorum successionem similis est directioni ꝓm signorum consequentiam: hoc vno considerato q̃ ascensiones ⁊ descensiões accipiantur ꝓm positionẽ promissoris ⁊ non significatoris ac si promissor dirigendus esset ad locum significatoris: sic enim subtrahemus ascensiones rectas promissoris ab ascensionibus rectis significatoris si in meridiano constitutus fuerit promissor: ascensiones aũt obliquas promissoris ad latitudinem regionis sumptas ab ascensionibus obliquis significatoris si promissor in ascendente iacuerit: aut descensiones huius a descensionibꝰ illiꝰ si angulum occidentis tenuerit promissor: ⁊ relinquetur directio expectata Q̃ si nullus dictorum angulorum promissorem habuerit inuenta prius eleuatiõe poli borealis supra circulum positionis sue subtrahemus ascensiões obliquas ipsius ad eandem poli eleuationem sumptas ab ascensionibus obliquis significatoris si in medietate orientali fuerit promissor: aut descensiões eius obliq̃s a descensionibus obliquis significatoris ad eandem poli eleuationem accept̃ accomodato integro circulo. 360. graduum quotiens opus fuerit: quod enim relinquetur directionem ostendit quesitam.

Vicesimumseptimum probleuma.

AD quẽ locũ zodiaci directio significatoris cuiuspiã ꝓm signorũ successionẽ queniat ĩ aliquo ãno ꝓposito inuestigare. Si in radice natuitat̃ vel alterius principij fuerit significator in meridiano siue supra terrã siue sub terra ascensiõi recte eiꝰ adde numerum annorum trãsactorum ab instanti talis radicis id est pro quolibet anno exacto vnum gradum eq̃toris dicte ascensiõi recte adicias ⁊ aggregati tanq̃ ascensiõis recte q̃re arcũ ecliptice reiecto priꝰ integro circulo si opꝰ fuerit: directio eni significatoris memorati in anno sequenti eos annos quoꝝ numerus additus est ascensioni recte p̃fate queniet ad gradũ qui segtur in medietate arcũ ecliptice iã inuentũ

Si autem significator fuerit in ascendente numerum annorum transactorum adde ascensioni oblique significatoris ad regionem propositaz: aggregatum enim erit ascensio obliqua cuiusdaz arcus ecliptice cui immediate annectitur gradus ad quem perueniet directio. Cum igitur arcum ecliptice per tabulam regionis agnoscas: non aliter operaberis per descensiones significatoris si in occidente extiterit: numero enim annoz adiecto descensionib⁹ obliquis significatoris prodibit descensio obliqua arcus ecliptice terminali ad gradum directionis quesitū. At si significator extra angulos dictos repertus fuerit: cognoscenda est elevatio poli borealis supra circulum positionis aut orizontez eius: deinde ascensionibus obliquis eius ad orizontez eundem addatur numerus annorum propositoz si in medietate orientali mãserit significator: aut descensionibus eius in eodem orizonte si in occidentali parte celi iacuerit: hoc enim pacto conflabis vel ascensionem obliquam: vel descensionem arcus ecliptice quem immediate sequitur gradus directionis quesitus: huiusmodi autē arcum ecliptice per tabulam orizonti significatoris seruientem: ac deinde gradum ad quem perueniet directio facile concludes.

Vicesimum octauum probleuma.

Vo pertingat directio significatoris propositi cõtra successionē signorum in anno quocũq; explorare. Cognito prius arcu semidiurno significatoris cum arcu seminocturno per duodecimum probleuma: subtrahe numerum annorum exactoz ab ascensiõe recta significatoris: itemq; residuū ab ascensiõe recta medij celi accomodato integro circulo vbi op⁹ fuerit z relictuz numerabit elongationez significatoris a meridie quam habet dum positio sua similis est positiõi promissoris id est gradus quesiti: h⁹modi igitur elongationē si minor fuerit arcu semidiurno significatoris pro distãtia a meridiano supraterranea occidentali tenebis: si vero maior arcu semidiurno significatoris fuerit: minor tñ semicirculo eam ex semicirculo deme z relinquetur distantia significatoris a meridiano subterranea occidentali: at si maior fuerit semicirculo: semicirculū ex ea minuatur z residuum si minus arcu seminocturno extiterit pro distantia a meridiano subterranea orientali computetur: si autem arcum seminocturnū excesserit dempto eo ex semicirculo qd̄ relinquet distantia a meridiano supra terranea orientalis nuncupabitur. Iam igitur cum declinatiõe significatoris z distantia a meridiano per vigesimum probleuma eleuationez poli borealis supra circulū positionis addisce: ac deinde ascensionez obliquaz significatoris per septimū quidem probleuma si latitudine caruerit significator: per decimū vero si quam habuerit latitudinez quemadmodum superius explanatum est. si saltē memorata distantia a meridiano fuerit orientalis: ex hac demū ascensione obliqua minue numerū annoz ab instãti radicis transactoris: z residuo tanq̃ ascensioni oblique congruentē arcū ecliptice elicias per nonū pbleuma

